

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.


Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de .

Das PDF wurde erstellt am: 20.08.2024, 15:36 Uhr.

De Verbis Quae Administrationi Baptismi Apud Nos Praemitti solent, & quae vulgo Exorcismum vocant Disputatio Theologica

Rostochi[i]: Typis Joachimi Pedani, Anno MDCXIII.

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1890987867>

Druck Freier  Zugang



ΣΥΝΘΕΣ.

DE VERBIS QUÆ
ADMINISTRATIONI
BAPTISMI APUD NOS PRÆMITTI
solent, & quæ vulgo Exorci-
smum vocant.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

QUAM PRÆSIDE

EILHARDO LUBINO S.S. THEOLOGIÆ
Doctore, & in Academia Rostochiensī
Professore,

Publicè defendere conabitur,

ISRAEL LAURENTII PRÆTORIUS
Smolando-Suecus.

Fiet Disputatio, cum DEO, die 27. Novemb, in
Auditorio magno,



ROSTOCHI

TPIS JOACHIMI PEDANI,

Anno clō Is CXIII



1613

1613

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

264-2847

Mecklenburgische
Landesbibliothek
Schwerin

1800
1800
1800

VANDALICO-HANSEATICARUM VRBIUM
LVBECENSIS, HAMBVRGENSIS,
LVNEBVRGENSIS

INVICTÆ, ΣΥΝΘΕΩ, TRIGÆ,

Venerandis Evangelij Christi Ministerijs,

Pacem in Christo, & salutem.



Disputationem hanc meam, Viri re-
verendi & clarissimi, fratres in Christo Jesu
honorandi, cur publici juris facere, publico
examine exponere in Academiâ hâc visum
mihi fuerit, in ipsis Thesibus satis superque exposuisse,
me confido. Vestræ autem Venerandæ Pietati cur inscri-
bere illam voluerim, una hæc me causa impulit, ut qua-
l ecunq; documentum esset, mei erga vos adfectus, quo
vos non solum tanquam venerabiles Christi præcones in
illis Urbibus, clarissimis Saxoniae nostræ oculis, & puræ
Religionis Christianæ gratissimis hospitij, sacratissi-
mum illud verbi Dei depositum religiosissimè fervantes,
inq; Unitate fidei Christi sanctissimè nobiscum conspi-
rantes, & præcipua Ecclesiæ DEI apud nos membra,
sanctè ac sincerè amo, colo, veneror, & suspicio; Verum
etiam ut hæc theses meas, quibus usum Exorcismi, ut
vocat, nobis vobiscum communem ex verbo Dei non
solum excusare, sed etiam adserere & defendere conatus
sum, vestræ censuræ ac iudicio subijcerem, & ostenderem,
quanti meritò vestro sitis in oculis nostris, & quàm nihil
prius, nihil antiquius nobis sit, quam nostros labores ac
(:) 2 conatus

conatus vobis probare, & vobiscum in unitate fidei &
Religionis Christianae sanctissimè combinari, & commu-
nem contra communes adversarios, causam defendere:
vosq; adhortarer ad communia contra illos arma capes-
senda, inter quae omnium validissima sunt ad Deum effu-
sae preces & lacrumae. Deus Ecclesiae suae pacem largia-
tur, & pusillum ovium suarum gregem potentissimè con-
tra infernalem illum lupum defendat, ejusque ministros
haereticos, qui longè vigilantiores sunt ad nos perden-
dos, quàm nos ad nos ipsos servandos. Benè in Domi-
no valete, venerandi in Christo fratres, & conatus hosce
meos accurato censuræ ac judicij vestri examine subigi-
te, quibus non tam gratiam, quàm veniam à vobis peto.
Rostochij. 6. Decemb. Anni 1613.

Vester in Christo

Jesu omni

pietatis studio

& officio

EILHARDUS LUBINUS.



THESIS I.

In Administratione Baptismi in Ecclesijs nostris verba quadam adhiberi hactenus conue-
runt, quibus Diabolo renunciatur, quibus
Diabolus ab homine, cum ad lavacrum illud re-
generationis adducitur, & per illud è filio iræ
filius DEI renascitur, facessere iubetur, quæ
verba usitato jam passim nomine Exorcismum vocant.

2. Ob quæ verba Ecclesia nostra gravissimè accusantur à quibusdam adversarijs, qui illa penitus à Baptismo removen-
da contendunt, quasi, ut ipsi loquuntur, non à Deo sed ab homini-
bus sit profecta: quasi contineant abusum nominis DEI, qui illa
non præceperit: quasi corporalem Diaboli obsessionem præ se fe-
rant, quò tamen baptizandi corporaliter obsessi non sint, & do-
num illud expellendi, ex corporibus Diabolos jam dudum in Eccle-
sia deserit: Et deniq; quasi materiam præbeant multarum
in Ecclesiâ turbarum & litium.

3. Gravis sanè accusatio, & eò gravior, quo verba illa in
administratione Baptismi in Ecclesiâ diutius adhibita, & à præ-
stantioribus priscis Patribus introducta & approbata fuerunt:
Quippe jam ante Cypriani, circa Tertulliani, ut videtur, tempo-
ra, qui circa annum à nato Christo ducentessimum floruit. Nec
posset profecto Ecclesijs nostris aliquid pudendum magis obijci,
quàm si mille & quadragentis & amplius annis, in sacro sanctâ
administratione Baptismi, in primo Christianismi limine, verba
quadam usurpassent, quæ non sint à DEO, quæ apertum nomi-
nis DEI abusum contineant, quæ sunt plena scandali, quibus pax
Ecclesiarum turbetur: si, inquam ritum quenquam adhibuerint
(ut quidam ipsum appellare ausi sunt) profanum, impium,
impostorum proprium, imò Diabolicum.

A

4. Unde

4. Unde nimirum cuius liqueat quanta & quam inevitabilis nobis incumbat necessitas, aut ritum illum prapropere ab administratione Baptismi r. movendi, & abrogandi, aut illum in verbo DEI fundatum esse, & cum verbo DEI consentire, certe minimè illi contrarium esse, ex verbo DEI ostiendendi & demonstrandi.

5. Posterius hoc in disputatione presenti, cum Deo, sine ulli honorum offensâ, sine ullo cuiuscung, aliter sentientis & iudicantis prajudicio, simpliciter, modestè ac placidè, ut par est, conabimur, Ex verbo DEI demonstraturi, Verba illa à majoribus non temerè, sed gravissimo & pijsimo consilio administrationi Baptismi esse addita, & ab illis accepta rectè in Ecclesijs nostris retenta esse hactenus, & etiamnum usurpari. Et quibus tamen conditionibus verba illa, si abrogari & removeri ijs in locis, ubi hactenus usurpantur, ab administratione Baptismi deberent, rectè abrogari possint. DEUS conatus nostros ad suam solius gloriam dirigat.

6. Principio, ut honestum exorcizandi verbum ab infamia, quâ immeritò gravatur, liberem, & rectè ad Baptismum accommodari demonstrarem, ejus verum usum, & genuinam significationem altius aliquanto, cu Jea, repetam, & plenius & exactius ostendam,

7. Est autem verbum ἰρκιζω vel ἐξορκίζω minimè infame nomen, incantatorum aut impostorum proprium, sed in honestâ significatione cum in profanis auctoribus, tum cum primis in verbo DEI divinitus inspirato à Spiritu sancto in novo Testamento usurpatum.

8. Invenio autem duplicem ejus significationem. Est enim ubi ἰρκιζω significet, juramentum ab altero exigo: vel juramento alterum obstringo. Demosth. Περὶ τριτοῦ ἑρμῆος ἀν ἰρκιζω μὴ ἀπολύω. Juramentum ab illo non exigimus. Sic in sacris Biblijs Josue 2. v. 20. Erimus mundi ab hoc juramento, ὁ ἰρκιζω ἡμᾶς

ἡμᾶς. Vom Ende daß du von uns genommen hast. Item, Regum 18. v. 10. Cum dicerent, non est hic, ὠρκισεν τὴν βασιλείαν. Er nam ein End vom Königreiche. Sic & 4. Regum. 11. v. 4. Pepigit foedus cum eo, καὶ ὠρκισεν αὐτὸν ἐνώπιον κυρίου. Vnd nam ein End von ihm im Hause des Herrn.

9. Significat etiam ὠρκίζω, per rem divinam, vel nomine Dei invocato, Deiq. auctoritate interposita aliquid cuiquam impero. Et significat, non juramentum ab alio exigo, & illum illo mihi obstringo, Ich nemme einen End; Sed adjuro, Ich beschwere. Et in hac significatione crebrius praesertim in verbo Dei usurpatur, & constituitur interdum cum duplici accusativo. Orpheus ex Justino.

Ὁ θεὸς ὠρκίζω σε θεῶν μεγάλων σοφὸν ἔργον,
* Αὐδῶ ὠρκίζω σε πατρὸς, τὴν φηγεῖσθαι πρώτῃ.
* Ἡνίκαι κόσμον ἀπάντα ἐαίς ἐνεχῆσθαι βελταίς.

Adjuro te per caelum magni Dei sapiens opus,

Adjuro te per Verbū Patris, quod primū elocutus est,

Cum mundum universum suis firmavit consilijs.

Plurima alia exempla Ethnicorum scriptorum jam transeo.

10. Idem significat Num 5. v. 19. Καὶ ὠρκισῆν αὐτὴν ὁ ἱερεὺς. Der Priester soll das Weib beschwören. Et 1. Samuel 14. v. 23. Jonathan non audierat ἐν τῷ ὠρκίζεῖν τὴν πατέρα αὐτοῦ τὸν λαόν. Quando adjuravit pater suus populum. Als er das Volk beschworen hatte. Item 1. Reg. 22. v. 16. Et 2. Paral 18. v. 15. Ὅσαις ἐγὼ ὠρκίζω σε. Quoties ego te adjuro, ut non nisi veritatem mihi dicas in nomine Jehovæ! Et quod in Cantico Salomonis quater repetitur; cap. 2. v. 7. cap. 3. v. 5. cap. 5. v. 8. & cap. 8. v. 4. ὠρκισα ὑμᾶς τὰς θυγατέρας Ἱερουσαλήμ. Adjuravi vos filias Hierusalem. Ich beschwere euch. Et ibid. 5. v. 9. Qualis est dilectus tuus, Ὅ ἐστὼ ὠρκισαὶς ὑμᾶς; daß du uns also beschworen hast?

11. In reliquis V. Testamenti exemplis accipi potest verbum

hunc ἔχειν in utraq. significatione, ut significet Juramentum
 exigere, aut etiam adjurare: Beschweren oder in ein Eyd nemm
 men. Sic Gen. 24. v. 3. ait Abraham ad servum suum: Pone ma
 num tuam sub femore meo, καὶ ἐχομιῶ σε κέρον. Et Jud.
 v. 37. ait servus: ὠπιος ὁ κέρος μὲ. quod verti potest: Ad
 jurabo te per Dominum, ut habet vulgata versio in signifi
 catione secunda. vel ut D. Lutherus vertit: Schwere mir bey
 dem Herrn: Mein Herr hat einen Eid von mir genommen/
 significatione primā.

12. Item Gen. 50. v. 5. Pater meus ὠπιος μὲ πρὸς τὸ π
 αδοῦμαι, Adjuravit me antequam moreretur. Mein Vas
 ter hat einen Eid von mir genommen. Et mox v. 6. ait Pharaō:
 Ascende & sepeli patrem tuum. καὶ ἴπρω ὠπιος σε, lit ad
 juravit te, Wie du ihm geschworen hast. Ubi in versione Latina
 prima significatio, in Germanica verò secunda expressa est. Et
 Exod. 13. v. 9. καὶ ἔρω ὠπιος Ἰσραήλ. Adjurando adjura
 vit. Germanicè Er hat ein Eid von ihm genommen. Et 2. Pa
 ral. 36. v. 13. Rex Nabuchodonosor adjuraverat cum per
 Deum ὠπιος αὐτὸς καὶ οὐκ οὐκ. Ubi quidam vertunt: jurare
 fecerat. ut referatur ad primam significationem.

13. Sic Esdrae 10. v. 5. Surrexit Esdras καὶ ὠπιος τοῖς
 ἀρχοντας τοῦ ἱεῖω. adjuravit Principes Sacerdotum. Ubi
 alij vertunt jurare fecit: Nam ein Eid von dem Obersten
 Priester. Deniq. Nebē. 13. v. 15. ὠπιος αὐτὸς ἐν τῷ οὐκ. Ich nam
 ein Eid von ihnen bey Gott. In hisce locis verbum ἔχει vel ἔχο
 μιῶ accipi potest ut significet vel juramentum ab alio exigere,
 at ille per Deum juret: vel adjurare, hoc est, imperio & man
 dato Dei cuiquam imperare.

14. Quamvis autem in his & alijs locis verbum hoc in
 utraq. significatione accipi possit: Est tamen inmane discrimen
 inter juramentum ab alio exigere, Einen in ein Eid nemmen, &
 inter adjurare: Einen beschweren. Longè enim aliud est ab alio
 exigere,

exigere, ut sub potentioris jussu & mandato, quo se jam ante obligatum intelligat, hoc vel illud faciat. quod significat adjurare: aliud est quenquam ad juramentum adigere.

15. Cum enim aliquem juramento obstringimus alter prestat juramentum à quo juramentum exigimus. Cum verò aliquem adjuramus, tum nostro juramento à nobis prestituto Deum vindicem vocando alium adigimus & obligamus. Vel, ut dicam, si possum, expressius: Cum ad juramentum alium adigimus, tum jurat alius quispiam. Cum verò nos quenquam adjuramus, tum nos juramus, & juramento nostro alium obstringimus & obligamus.

16. Videndum jam porrò, quid vocabulum illud in N. Testamento, ad quod potissimum hic, utpote Græcè scriptum, dum inquirimus significationem verbi Græci, respicimus, significet. Verbum ὀρκίζω ter in N. Testamento usurpatur Marc. 5. v. 7. Act. 19. v. 13. & 1. ad Theß. 5. v. 27. Ἐορκίζω verò semel tantum invenitur Mat. 26. v. 93. De quibus quatuor locis verè magis quàm confidenter pronuncio, verbum hoc non nisi in secundâ significatione usurpari, nec unquam significare quemquam juramento astringere: sed semper significare Dei nomine invocato, & Dei mandato ac autoritate interpositâ quidquam cuiquam imperare.

17. In Marco Diabolus hominem corporaliter obsidens Jesum his verbis compellat: ὀρκίζω σε τὸν Θεὸν μὴ με βασανίσῃς. Adjuro te per Deum ne me torqueas. Q. d. Diabolus ego tibi edico & impero Dei autoritate & mandato interposito. Et hanc significationem verbi ὀρκίζω ipse Beza in annotationibus suis ad citatum locum ultro agnoscit: & in alijs locis in Actis & Epistola Pauli ad Theßalon. usurpari spontè fatetur. Verba autem apud Marcum explicat in significatione primâ, quasi Diabolus à Christo juramentum exigat, eiq; dicat: Confirma mihi interposito per Dei nomen jurejurando, fore ut me non

vexes. Perinde atq; si dicat: Ego in Dei nomine juramentum & te exigo, quo tibi caveas de non ladendo.

18. Ego verò adfirmo commodius in secundâ posteriori significatione verbum huc apud Marcum usurpari, & Bezam in explicatione illius loci lapsum esse, nec recuso censuram arbitrium & iudicium omnium Gracè intelligentium. Minus enim conveniens fuisset illa Diaboli postulatio, ut JEsus illi juraret, fore ut illum non vexaret. Hoc enim non erat in arbitrio Diaboli illud à Jesu impetrare, ad quod ipsi non obligabatur. Quippe qui non tenebatur Diabolo juramentum exigenti obtemperare, neq; à Diabolo cogi poterat. Quod etiam Diabolus non nisi ineptè & absurdè postulasset. Convenit ergo magis secunda significatio adjurandi. Nam hoc utiq; in arbitrio & potestate Diaboli situm erat, mentiri se Dei imperio & autoritate munitum esse, & per mendacium fingere se Dei autoritate defendi, & se Dei mandato tanquam clypeo muniri, & Dei autoritate per mendacium se tueri conari. Quamvis autem Diabolus utpote impudentissimus Spiritus, etiam videri possit juramentum à Christo impudenter exegisse, ut alibi ab illo exigit, ut è lapide panem faceret; Tamen longè est verisimilius, & magis ex indole Diaboli, se DEI autoritate munitum mentiri, seque illà velle defendere. Quod autem Diabolus apud Marcum dicit ὀρκίζω σε, apud Lucam verò δέομαι σε non indicat aliam tertiam significationem verbi ὀρκίζω, sed tantum Diaboli conatum, qui imminens sibi periculum vel adjurationibus ut apud Marcum, vel precibus ut est apud Lucam, conatus sit amoliri.

19. Eadem significatio est etiam in Actis 19. Ubi filij Sceve fingunt se Crisisti autoritate armatos esse ad Diabolos ex obsessis profligandos, quãdo dicunt ὀρκίζομεν ὑμᾶς, τὸν Ἰησοῦν ἐν ὀνόματι τοῦ κυρίου ἡμῶν. Quasi dicant: Imperamus vobis Diabolis in nomine JEsu Nazareni prepotentis Dei, quem Paulus predicat, ut hinc migretis. Illi enim quantumvis infideles cum viderent à
Paulo

Paulo ἐγγυμῆρας in nomine Jesu à Diabolis liberari, etiam ipsi idem conati sunt, inde lucrum aucupantes: prorsus ut Simon Magus, cum videret impositione manuum Spiritum Sanctum conferris datà pecunià hoc donum emere sibi voluit.

20. Idem significat vocabulum ἐπιπέτω in Epist. ad Thessal. *Ἐπιπέτω ὑμῶς τὴν κίβητον ἀναγνώσθητε τὴν ἐπιστολὴν ταύτην*: Adjuro vos per Dominum, ut legatur hæc Epistola ab omnibus, *Quod Dei imperio & autoritate interposità vobis edico, ne quis Epistolam hanc privatim detineat. Volo hanc Epistolam ab omnibus legi. Et id ni fiat Deus vos puniat, quem invoco testem, quod sub ejus autoritate & mandato hoc vobis edixerim, & quem super vos vindicem invoco, si ejus mandato non parueritis.*

21. Verbum ἐξορκίζω, semel usurpatur apud Matthæum in significatione prorsus eadem. Ubi Pontifex Caiphas compellat Jesum in his verbis: *Ἐξορκίζω σε κατὰ τὸ θεῶν ζῶντων, ἵνα ὑμῖν εἶπῃς εἰ οὐ εἶ ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ*. Adjuro te per Deum viventem, ut nobis dicas an tu sis Christus Filius Dei. Quasi dicat: *Invocato super te Deo vivo, ejus autoritate tibi precipio, ut veritatem mihi dicas non aliter atque si coram Deo consisteres, & à Deo interrogareris. Et hanc significationem idem Beza agnoscit.*

22. Patet ergo ἐξορκίζω non significare in Novo Testamento jurare per res divinas & sacras: sed adjurare aliquem per Dei autoritatem & imperium. Nicht bey Heiligen Dingen schwören: sondern einen bey Heiligen Dingen beschweren. Inter quæ duo immane discrimen superius notavimus. Notavit hoc August. in libro de Vita Beatâ, ubi loquitur de impuro Spiritu. qui extrinsecus hominem invadit & sensus conturbat. Cui excludendo, inquit, qui præsumunt manum imponere & exorcizare dicuntur, hoc est, per divina eum adjurando expellere.

23. Bx

23. Ex jam dictis liquet verbum ἐπιτελέω ἔχει ἐξορκισμὸν
velut, cum apud Ethnicos Philosophorum antiquissimos usurpa-
tur, tum etiam in scripturis sacris, nomen minimè abominabile
esse & inauspicatum; sed sanctum, utpote usurpatum, non solum
in interpretatione Græcâ Mosis & Prophetarum, sed & in textu
Græco Evangelistarum & Apostolorum: nec æquum esse ut pro-
pter quorundam superstitionem, imposturam aut abusum verbû
illud in odium adducatur.

24. Ulpianus J. Consultus verbum Exorcizare vulgare im-
postorum verbum appellat, quibus impostoribus negat de meros-
de suum jus dicendum esse, qui ad liberandos obsessos superstitio-
sis incantationibus & exorcismis uterentur, l. 1. §. 3. de varijs
& extraordinarijs cognitionibus. Quâ a. tandem conscientia
illud Græcum verbum ἐπιτελέω in scriptura Sacrà à viris Dei
usurpatum, quibus tanquam amanuensibus suis Spiritus S. illud
dictavit, inauspicatum consuerimus, inq. odium adduxerimus,
idq. auctoritate Jcti non Græci sed Tyrj, non Christiani sed
Ethnici, addo etiam ego Christiani nominis infestissimi hostis?
Cum enim verbum Exorcizare, & vocabulum Exorcista apud
Christianos usurpatum infideli illi Ethnico & Barbaro inno-
tuisset: Christianos, quos oderat, sugillare volens, Exorcizare
vulgare impostorum verbum, vocavit.

25. Notum enim satis est quod infideles Ethnici Christia-
nos appellare soliti fuerunt impostores. Testatur hoc Hierony-
mus in Epist. 10. ad Furiam: Ubi viderint Christianum,
inquit, usurpant statim illud de trivio: ὁ Γραικὸς Ἰσχυρὸς.
O Græcum impostorem! Si tunica non canduerit, sta-
tim illud è trivio: Impostor & Græcus est. Infideles enim,
teste Tertulliano, ideo illos vocabant Græcos, quod cum Christia-
ni facti essent, abjecissent togam, & pallium Philosophorum in-
duissent, quod erat Græcorum.

26. Et quale tandem argumentum hoc ab auctoritate infi-
delis

Belis & hostilis Ethnici contra verbum Scripturae Sacrae & Christianorum? Ideone verò ipsum Dei Filium Christum Josum, in cuius ore dolus inventus nunquam est, & qui verax est, imò ipsa Veritas, ideo impostorem appellaremus aut haberemus, quod ejus hostes & parricida virulentissimi Principes Sacerdotum & Pharisei ad Pilatum dixerint: Matth. 27. v. 63. Recordati sumus impostorem illum dixisse, cum adhuc viveret: Tertio die resurgam? Ideone illum Demonium habuisse asseruerimus, quod Pharisei peccato contra Spiritum S. admissò hoc de ipso calumniarentur. Iob. 8. v. 48.

27. Haetenus haec ad verbum Exorcizandi excusandum. Jam porro, ut paucis etiam dicam, de Exorcistis: Nihil attinet hoc loco referre, quae de illis apud Judaeos antiquissimos leguntur: Et quae de Salomone Josephus in Antiquitatibus Judaicis lib. 8. cap. 2. Et de Bello Judaico lib. 7. cap. 25. refert, quod certis quibusdam incantationibus à Deo ipsi praestitis Demonas fugaverit, idq. per radicem quaedam mirae virtutis. Quae Judaicis fabulis & superstitionibus digna sunt.

28. Eiusdem farinae est, quod refertur, Iudaeos Exorcistas per virtutem nominis $\alpha\gamma\epsilon\gamma\alpha\mu\alpha\tau\epsilon$ Diabolos & obsessos fugasse, Nimirum in Dei nomine scripto, lecto, & recitato vim quandam Diabolorum expultricem inesse ratos. Nec desunt, qui de Exorcistis Judaeis intelligant illa Christi verba, Mat. 12. v. 27. $\sigma\iota\ \delta\iota\delta\iota\ \delta\upsilon\mu\omega\upsilon\ \epsilon\upsilon\ \tau\upsilon\ \epsilon\upsilon\beta\acute{\alpha}\delta\alpha\mu\omicron\varsigma$ Filij vestri in quo eijciunt? Hoc saltem nobis sufficiat apud Judaeos ante Christum natura fuisse Exorcistas. Qui quo eventu, aut successu conatus suos peregerint, hic non disputo.

29. In primà Ecclesià Apostolorum tempore Exorcistas vocatos esse, qui hoc miraculi dono divinitus pollentes manus Enorgumenis imponentes à Diabalis obsessos liberabant, addita per Dei & Domini Jesu nomine obtestatione, notum est ex loco Act. 19. v. 12. Ubi filij Scevae ad imitationem Christianorum super obsessos

B

sessos

sessos nomen Jesu, invocabant, & verbum hoc usurpabant no-
tius est, quam ut ostendi mereatur. Quin ipsi Apostoli de hac
potestate, Dæmones sibi subjectos esse, quos verbo in Christi no-
mine potuissent expellere post primam suam legationem reverse
serio triumphabant. Luc. 10. v. 17. Et Exorcistas in pretio apud
Iudeos fuisse quidam ex 19. cap. Actorum colligere conati sint.
Quod ibi Exorcista nominentur filij Scævæ Principis Sacerdo-
tum. Quos tamen incantatores, & circulatores, sive περιερχο-
μενοι, ut ibi vocantur fuisse patet. Et quorum meminit Justinus
Martyr in orat. ad gentes, & quos citato superius loco Ulpianus
imposteros vocabat.

30. Non autem hoc debuit Christianis fraudi esse, qui id
legitimè in nomine & mandato Christi præstabant, quod circu-
latores & incantatores superstitionis & impiè machinabantur,
superstitionibus & incantationibus suis sine ullo Dei mandato,
idq. eventu minimè felici: de hisce Justinus, Quos aliq. incanta-
tores & venefici curare non poterant, permulti nostro-
rum Christianorum per nomen Jesu Christi, sub Pontio
Pilato crucifixi adjurantes sanarunt, & etiamnum sanât,
exigentes ab hominibus Dæmones, quos illi obsederant.

31. Et notum hoc est ex historiâ filiorum Scævæ in Actis, qui
ibidem appellâtur περιερχόμενοι ἰσδάοι ἐξοριστῶν, Circulatores
Iudæi Exorcista. Qui licet super obsessis nomen Dei nominarent,
veri tamen Christiani & fideles non erant, & conabantur illud
eventu parum felici.

32. Christi verò Apostoli legitimè hoc faciebant à Christo
autoritatem habentes, cujus mandato subnixi erant. Matt. 10. v.
8. Δαιμόνια ἐκβάλετε. Dæmonia eijcite. Et Marci ultimo v.
17. ἐν τῷ ὀνόματί μου Δαιμόνια ἐκβάλετε. In nomine meo
Dæmonia eijcient. Unde Apostoli reverse gaudentes dicebant,
καὶ τὰ δαιμόνια ὑπακούουσιν ἡμῖν ἐν τῷ ὀνόματί σου. Etiâ Dæmo-
nia in tuo nomine subijciuntur vobis. Nam illud verisimile
est

est illos Diabolos eicientes hisce verbis usos esse: In nomine Jesu edico tibi ut exeat. Et tale imperium verbo ἔξορκίζω notari supra ostendi. Et hanc virtutem habuerunt etiam Laici, imò milites, ut testatur Tertullianus de Coronâ militari cap. 11. Qui alibi lib. de Idolomaniâ cap. 11. testatur etiam Parentes Exorcisando è liberis Dæmonia expulisse.

33. Imò verò in primâ Ecclesiâ etiam Hypocrita & infideles hoc prestiterunt. Nam & Judas unus 12. Apostolorum erat, qui Matt. 10. cum alijs emissus fuit, & cui equè atq; reliquis à Christo dictum fuerat: Δαίμονια ἐξουθεν. Et qui licet fur, & mox proditor & Diabolus esset: Tamen procul dubio in Christi nomine Diabolos eiecit. Et Matt. 7. v. 22. disertè quidam introducuntur in extremo mundi die dicturi: κύριε ἐπὶ τῷ ὀνόματί σου δαίμονια ἐξέβαλον; Domine, nonne in nomine tuo Dæmonia eiecimus? quibus tamen adfirmat Christus professurum se οὐδέποτε ἐγνων ὑμᾶς. Nunquam cognovi vos. Neq; enim virtus & efficacia auctoritatis mandati Christi dependet à dignitate ministrantis.

34. Adhibuerunt autem non solum verba illa à Christo sibi injuncta; In nomine Jesu exi &c. nec imposuerunt solum manus, verum etiam alios ritus adhibuerunt, exemplo quidem Christi, nec tamen sibi in exemplum ad imitandem expressè mandato. Nam & Christus, cum vel nutu solo opus Diaboli, qui hominis auri & lingua vincula injecerat profligare potuisset: Marc. 7: Tamen ritus & signa quedam adhibuit expuendo, linguam & manus ejus tangendo, ut vel externis illis ritibus in oculos & aures incurrentibus, ostenderet, se Diaboli opera destruere, & auris & lingue vincula, quæ Diabolus nexerat, solvere.

35. Et fuit hoc peculiare munus post Apostolorum tempora in Ecclesiâ, quod nec omnibus datum fuit, & quamvis diuini in Ecclesia duraverit; postea tamen cessavit. Eratq;

Exorcistarum singularis in Ecclesia ordo, Teste Ignatio Epist. 12. ad Antioch.

36. Erat etiam certa quedam Exorcismorum forma libris inscripta, quam Exorcista in manum Episcop^o tradebat his verbis: Accipe & manda memoriae & habe potestatem, imponendi manum super *εξεγυρισμῶν*, sive Baptizatum, sive *εγχετισμῶν*, ut habetur in Concilio Carthag. cap. 7. Quae quamvis superstitiones Pontificias respiciant, illud tamen illo loco obiter notari potest, Exorcistas illo tempore non nisi Christianis vel ad Christianismum jam initiatis à Diabolo corporaliter obsessente liberandis operam dedisse.

37. Haecenus de Exorcistis qui Diabolum ejusq; opera quibus corpora obsidebantur in Dei, aut Jesu nomine Exorcizando profligabant: Jam ulterius inquirendum est, quomodo verba illa, quibus olim Exorcistae corporaliter obsessos liberabant in Dei nomine, ad administrationem Baptismi adhiberi ceperint.

38. Quamvis autem nomen Exorcistarum, & verbum Exorcizare, adjuratorum, & adjurare Diabolos ex ritu Iudaico proficisci videatur: Res tamen ipsa, hoc est ipsa adjuratio, & adjurandi actio, quae in Dei nomine, & mandato Diabolus, & Diabolorum opera profligata sunt, in Evangelio in verbis Christi & Apostolorum disertè habetur. Ut cum Jesus ait: Matt. 12. v. 28. Impurum spiritum expelli per digitum Dei, intelligit mandato & auctoritate Spiritus sancti impurum Diaboli spiritum ejici. Item cum Apostolus dicit: Act. 3. 6. In nomine Jesu tibi dico surge & ambula. ubi in nomine, hoc est mandato & auctoritate Christi exorcizatur, hoc est adjurando profligatur opus Diaboli, scilicet morbus & infirmitas corporis.

39. Nam per nomen Dei, per nomen Jesu, per Digitum Dei, sive Spiritum sanctum Demonia ejicere, ex Diaboli opere profligare, quid tandem aliud est, quam in nomine & manda-
to. Des

to Dei Exorcizare in secundâ, de quâ supra dictum est, signifi-
catione quâ significat Dei auctoritate & mandato jubere & im-
perare? Et hæc virtute Diabolum & Diaboli opera, hoc est mor-
bos & infirmitates ex corporibus in nomine & auctoritate
Christi profligandi, Christi Apostoli & fideles in primâ Ecclesiâ
diu pollebant. Quod etiam Marci 16. v. 17. Inter credentium
signa refertur. Nam dicit ibi Christus: Per nomen meum
Dæmonia ejicient, & manus ægrotis imponent, & bene
habebunt. quod perinde est, ac si diceretur, per meum nomen
illos adjurabunt. & dicent: ἰσχυροῦς ἰμῶν τοῦ κυρίου, ut Paulus
ait: aut ἰσχυροῦς τοῦ Ἰησοῦ, ut filij Sceve dicebant Apostolorum
verba haud dubiè, imitari volentes.

40. Cum erga Apostoli & discipuli Christi in nomine &
auctoritate filij Dei Diabolos & Diaboli opera morbos corpora
hominum occupantes, expulerint & ejecerint: Videndum por-
ro est: Ecquid ne Christi Apostolis & fidelibus à Christo illa
etiam facultas data & concessa sit Diabolos & Diabolorum opera
homines spiritualiter obsidentia in nomine Christi, hoc est vir-
tute verbi & Sacramentorum expellere, & profligare, &
anne illa expulsio & profligatio possit vocari mandatum in no-
mine Christi ad Diabolum & ejus opera profliganda. Et quale
mandatum per Exorcismum declarari, & significari supra est
ostensum, & probatum quod Exorcismus, in nomine Iesu
factus, sit mandatum in nomine Iesu peractum, (Quod
in hæc disputatione etiam atq; etiam notari velim) & quod duo
illa equipolleant, ex secundâ, uti dictum est, verbi Exorcizare,
significatione.

41. Venerat Christus, ut antiquo serpenti Diabolo caput
aontereret, ejusq; opera destrueret. Idq; non tam Diabolum &
ejus opera cum corpus obsidet, membra ejus intorquet, & agri-
tudine ac morbis adfigit; quàm cum spiritualiter eum capti-
vum detinet, spiritualiter intus eum obsidet, in ipso intus agit,

cum ad scelera & flagitia impellit, & spiritualiter animi morbis eum adfligit. In mente & voluntate morbo ignorantie & odij Dei, ad ferendum fructum, ut Paulus ad Rom. 7. v. 5. loquitur aeterna morti, & condemnationi.

42. Et legimus filium Dei quoties insignem aliquam concionem ad populum habuit, plerunq; memorabile aliquod miraculum subjunxisse, quo vel Diabolum, vel ejus opera ex obsessorum vel agrotorum corporibus profligabat. Ut ita externis miraculis & beneficijs corpori collatis, ostenderet, quid prestaret animis hominum predicatione Evangelij, quos à spirituali obsessione Diaboli, & morbis animi solverit. Et hinc illud est, quod Matth. 9. v. 2. Paralytico prius peccata remittit, quàm morbum corporis tollat: prius animum, quàm corpus à suo morbo liberet. Et mox contra per sanitatem corpori collatam & in oculos incurrentem ostendat, quid animo contulerit, nempe remissionem peccatorum. Ob id ait: Ut intelligatis quod potestatem habeat filius hominis in terra remittendi peccata dicit Paralytico. Surge, tolle lectum tuum, &c. Quasi dicat: Ut intelligatis me hunc liberasse à morbis animi peccatis, discite hoc vos ex illo, quod eum libera verim à morbo corporis, Paralyti, quod factum esse, coram videtis.

43. Certè eo majus hoc est beneficium, & eo certius ad hoc beneficium conferendum in mundum venerat, non tam corporum quàm animorum medicus, quo potior est spiritus corpore hominis, & quo atrocius ac periculosius est à Diabolo & peccatis spiritualiter, quàm à Diabolo, & ejus operibus morbis corporaliter obsideri. Nam hac obsessio corporalis corpori tantùm infert brevis temporis vexationem, quæ saltè morte hominis solvitur. Spiritualis verò illa nisi morte & merito Christi solvatur, non corpori solum, sed etiàm animæ aternam infert perniciem.


44. Cum ergo Exorcista corporaliter Diabolum obsidentem ejectione eundem exorcizaverint sive adjuraverint, hoc est
faceffe.

faceffere cum jufferint in nomine, auctoritate & mandato Dei
(Et hoc Dei mandatum Exorcifmum rectè vocari fupra oflendi-
mus) Cujus tamen mandati vis & efficacia exiguo tantum tem-
pore in Ecclefia durabat: Cur non Baptifmum, in quo contine-
tur illud Dei mandatum, quo Diabolus fpiritualiter hominem ca-
ptivum detinens & obfidens profligatur, & quod omni Ecclefia
in mundo durature tempore durat & durabit, Exorcifmum ap-
pellemus, hoc efl mandatum imperium & adjuratione in nomi-
ne Dei, quo fpiritualis in homine Diaboli obfelfio folvitur, &
Diabolus & Diaboli opera expelluntur. Et talem in nomine
Sanctæ Trinitatis expulfionem Exorcifmum rectè vocari, often-
dimus fupra.

45. Illa enim duo cum fanchis Patribus ex Verbo Dei
prefupponimus omnes ex carne, fanguine & libidine viri natos
nafi filios iræ, & effe fub poteflate Diaboli, à Diabolo captivos
teneri, à Diabolo obfideri, & agitari. Carnem autem & fan-
guinem Regnum Dei poffidere non poffe, nifi per aquam & Spi-
ritum regeneretur. Alterum, quod Baptifmus non folum figni-
ficet, fed etiam operetur remiffionem & ablutionem peccatorum,
& liberet à morte & à Diabolo: Quodq; ut Cypriani verbis de
hâc adjuratione Diaboli, fpiritualiter obfidentis rectius utar,
Diabolus in Baptifmo oppimatur.

46. Et hoc prefupposito, quid tandem aliud efl Baptifmus
quam Exorcifmus in hac, quâ fupra oflendi, fignificatione, hoc efl
mandatum Dei, quo Diabolus fpiritualiter hominem obfidens,
adjuratur, hoc efl, auctoritate imperio & mandato Sacrofan-
ctæ Trinitatis hominem jam Deo dicatum relinquere jubetur,
quippe in quo jam omne Diaboli imperium per Baptifmum in
verbo jam deftruat & evertatur? Minimè enim Exorcifmum
à Baptifmo fejungimus, tanquam peculiarem actionem quan-
dam, quæ premiti debeat antequam Baptifmus adminiftratur:
Neq; excufamus patrum fuper hâc re fententias & dicta qui in-

com-



commodius securius & incautiùs sepè locuti sunt: Nec adfirmamus verba illa aliquam Baptismi partem esse: Sed esse Baptismi declarationem, & ostendere, quidnam illud lavacrum regenerationis in homine, cum baptizatur, operetur: Quo scilicet filius iræ, sub potestate Principis tenebrarum, transferatur in regnum lucis Christi & renascatur in Dei filium, in quo nihil jam ulterius damnationis sit, & Diabolus nullum jus nullum imperium amplius habeat.

47. Luca 9. v. 1. Dat Jesus discipulis suis potestatem in omnia Dæmonia eijcienda, & ægros sanandos. Durabat hoc munus suo tantum, ut dictum est, in Ecclesiâ tempore. At verò venerat filius Dei potissimū, ut animos nostros à spirituali imperio, captivitate, & obsessiōe Diaboli liberaret: Et dedit fidelibus verbi sui ministris virtute verbi & sacramentorum, super Scorpionis & Serpentes ambulare, Diabolos spiritualiter homines obsidetes profligare: Idg, imperio, nomine & mādato filij Dei, & Sacrosanctæ Trinitatis, cum dixit. Ire in mundū universum, & prædicate Evangelium omni cræaturæ, Baptizantes eos, &c.

48. Et hoc Christi mandatum cum Baptizare jussit nos vocamus Exorcismum, sive Adjurationem illam, quæ sub Imperio & mandato Dei Diaboli immundis spiritibus in Christi servos & fideles omne Imperium eripimus, & fortes illos armatos vincimus, & mundam eorū aulam diripimus, & inde spolia in Regnum Christi & Ecclesiam homines nimirum resipiscentes transferimus.

49. Illud enim etiã atq, etiã notari hic velimus, quod supra prolixè ostendimus, Exorcizare non propriè & in specie significare Diabolum ex homine corporaliter obsidentem epicere: Sed in genere in nomine, in mandato & auctoritate Dei, aliquid cuiquam imperare. Et quæ significatio si rectius notata, & cum majori candore admissa foret, minus hoc vocabulum exosum esset, minusq, invidia apud adversarios haberet.

50. Ex

50. Ex quibus patet nihil ad rem pertinere operose ostendere, quam diu in Ecclesia duraverit donum illud, Diabolo corporaliter obsessos ejiciendi. Nam de tali Exorcisatione, quæ talis obsessio solvitur, hic non agitur. Interim obiter illud attexo, non sibi constare, quod Martyr & alij asserunt, tempore Severi Imperatoris, sub quo Tertullianus vixit, cessasse hoc donum. Nam illud etiam Augustini tempore nondum prorsus desijt, ut patet ex libro ejus de Beatâ Vitâ, ubi dicit de illis, qui corpora obsessos Diabolo imposta manu exorcisabant, hoc est per divina adjurando expellebant. Floruit autem Augustinus post Tertullianum ducentesimo trigesimo præter propter anno.

51. Nihil etiam nos hic disputamus, quo tempore Exorcismus, quem nos non partem, sed declarationem virtutis & efficacie Baptismi agnoscimus, & qua occasione, quibusq; auctoribus in administratione Baptismi adhiberi cæperit. Afferit Martyr Cypriani tempore corporaliter obsessos, cum aliter liberari non potuerint, ad Baptismum adductos fuisse, & Diabolo expulsos. Et opinatur illo tempore & occasione ad administrationem Baptismi adhiberi incipisse.

52. Verba Cypriani sunt, in Epistolâ 8. lib. 4. Quod etiam hodie geritur, ut per Exorcitas voce humanâ, & potestate divinâ flagelletur, uratur, & torqueatur Diabolus, & cum exire se, & homines Dei dimittere sæpe dicit, in eo tamen quod dixerit fallat, & id quod per Pharaonem prius geitum est, eodem mendacio obstinationis & fraudis exerceat. Cum tamen ad aquam salutarem, & Baptismi sanctificationem pervenitur, scire debemus & fidere, quia illic Diabolus opprimitur, & homo Deo dicatus divinâ indulgentia liberatur. Nam sicut Scorpij & serpentes, qui in sicco prævalent, in aquam præcipitati prævalere non possunt: Sic & spiritus nequam,

C

qui

qui Scorpij & Serpentes appellantur, & tamen per nos datâ à Domino potestate calcantur, permanere ultra non possunt in hominis corpore, in quo Baptizato & sanctificato incipit Spiritus Sanctus inhabitare.

53. Ceterum de illo Patrum factò, quando corporaliter obsessos ad Baptismum adduxerunt, in quo spiritualis obsessio Diaboli soluta fuit, nihil hic disputo. Saltem hunc Cypriani locum citavi, ut vel hinc liqueat, quantam efficaciam & virtutem Sancti Patres Baptismo attribuerint. Et quod in templo illo, quod Spiritus Sanctus jam per Baptismum lustratum & purgatum habitare incipiat, impurus Diaboli Spiritus, sive corporaliter, sive spiritualiter hominem obsidens morari amplius non possit.

54. Longè autem à vero aberrant, qui censent Cypriani tempore, ex illâ occasione, quod corporaliter obsessos ad Baptismum adduxerint, & ibidem corporaliter obsidentes Diabolos exorcizando ejecerint, Exorcismi verba in administratione Baptismi usurpari coepisse. Nam jam diu ante illa tempora adhiberi illa ad Baptismum coeperant. Testatur hoc idem Cyprianus apud quem in sententijs Episcoporum Concilij Carthaginensis Caelius à Biltâ dicit: Unum Baptisma in Ecclesiâ solâ scio, & extra Ecclesiam nullum. Hoc erat unum, ubi spes vera est, & fides certa. Sic enim scriptum est: Una fides, una spes, & unum Baptisma, non apud Hæreticos ubi spes nulla est, & fides falsa, ubi omnia per mendacium aguntur. Ubi Exorcizat Dæmoniacus. &c. Unde liquet, quod jam ante illa tempora in Baptismo verba Exorcismi usurpari inciperint. Et quæ quo tempore coeperint, & quibus auctoribus vix arbitror præcisè definiri posse.

55. Certè verisimilius videtur, quod corporaliter obsessos ideo ad Baptismum adduxerint, ut ibi exorcizando & adjurando impuri spiritus è corpore profligarentur, cum jam ante in
Bapti

Baptismo spiritualis Diabolorum obsessio Exorcismo Baptismi, (licet mihi ex supra demonstratis ita loqui) hoc est mandato & auctoritate Sacrosanctae Trinitatis, soluta fuerit, & Diabolus spiritualiter inde ejectus sit. Sic ut Exorcismus jam ante in Baptismo adhiberi ceptus ad obsessionem Diaboli spirituales solvendam, occasio fuerit etiam corporaliter obsessos eo adducendi.

56. Et videntur Cypriani verba de homine *επεγυρανα* sive obsessio, qui jam ante Baptizatus non fuerit, intelligi non posse. Sed intelligenda esse de homine jam ante Baptizato, & postea corporaliter obsessio, quem deduxerint ad aquam Baptismi, quando alij sive infantes sive adulti fuerint baptizati, ut cum ibidem Diabolus spiritualiter hominem obsidens mandato & auctoritate Dei in Baptismo ejiceretur, simul etiam Diabolus corporaliter hominem obsidens expelleretur.

57. Porro parum nos hoc loco moramur, id, quod parum etiam nos tangit, qua occasione Exorcismi, ut vocatur, verba, Baptismo adjuncta sint, quidve sancti Patres de illis minus commode senserint, & locuti etiam interdum sint. De illo potissimum queritur, qua ratione, quo modo, aut potius quo jure, nos in Ecclesijs nostris verba illa Exorcismi in Baptismo toleremus, ac retineamus, qua ja in Ecclesia ultra mille & quadringentos annos usurpata & ad nos transmissa, & quasi de manu in manu ab antecessoribus nostris tradita fuerunt. Hic nos coram Deo & universali ejus in terra Ecclesia aperte & palam profiteamur, nullam nos invenire causam, cur forma illa verborum Exorcismi in Ecclesijs nostris, ubi haecenus semper usitata fuit, abrogari debeat: nec invenire modum, quo sine infirmorum scandalo aboleri possit.

58. Nos enim verba illa retinemus non tanquam Baptismi partem, neq, etiam tanquam talem *παρασκευην* aut preparationem ad Baptismum, qua prius impurus spiritus, (ut non nemo Patrum incommodissime locutus est) ab homine expellatur,

ut sic Spiritui S. purum preparetur domicilium, qualem sententiam quorundam Patrum minimè probamus: sed dicimus nobis illa Exorcismi verba nihil esse aliud, quàm utilem de Baptismo commonefactionem, quàm Baptismi explicationem, ejusq. efficaciam declarationem. Quemadmodum enim in administratione cœnæ Domini apud nos, & in quibusdam Ecclesijs alibi piè ex Verbo Dei desumta, & in verbo Dei fundata exhortationes & commonefactiones præmitti solent, in quibus utiliter & salubriter exponitur, quomodo convivæ Sacrosanctarum illarum epularum preparare se debeant, & quid ex sanctâ illâ cœnâ expectare debeant, alimenta sc. animæ & corporis ad salutem & vitam æternam: Sic etiam bono & salutari Patrum consilio & instituto Exorcismi verba administrationi Baptismi addita & præmissa fuerunt, quibus ostenderetur, quidnam in administratione Baptismi fieret, quidnam Baptismus operetur nempe liberationem à Diabolo & Diaboli operibus, in quo baptizati à spirituali imperio Diaboli liberentur, & à peccatis quæ Diaboli opera sunt & animæ morbi, absolverentur.

59. Ex qua consideratione obiter etiam illi dubitationi occurri potest, quia quosdam turbari video, quomodo Exorcismus in Verbo Dei fundatus sit, & tamen inter indifferentia & Adia-phora referri debeat, qui etiam salvo Baptismo omitti possint, & in multis Ecclesijs Christianis & reformatis jam dudum omittitur. Nimirum in Verbo Dei fundata sunt Exorcismi verba & in ipsa adeò institutione Baptismi. Sed quo ad usurpationem ut ad actionem Baptismi adhibeantur vel non adhibeantur, hoc Adia-phoron est. Prorsus ut tales exhortationes & commonefactiones quæ administrationi cœnæ Dominicæ præmitti solent, & quibus declaratur Sacramenti virtus & efficacia, in verbo quidem Dei fundamentum suum habent, tamen multis in locis omittuntur. Et hoc in libero Christianorum arbitrio situm est declarationem talem vel addere vel omittere, nam etiam sine
declarati-

declaratione tali nihilominus Sacramentum est & manet Sacramentum. Declaratio autem illa additur propter homines adstantes, non ob baptizandum, & qua licet in verbo Dei fundata, non tamen illo loco & tempore necessario adhibetur, sine qua nihilominus Sacramentum efficax est.

60. Et sic Verba Exorcismi nobis aliud nihil sunt quam Baptismi ejusque efficacie declaratio. Declarant enim quid Baptismus sit, & quid efficiat. Et Baptismus demum in Ecclesiis nostris nobis ille ipse Exorcismus est, h. e. illa adjuratio, illa actio, in qua imperio & mandato jussu & auctoritate S. Trinitatis, Patris, Filij & Spiritus S. spirituale Diaboli in hominem jam baptizatum imperium evertitur & aboletur, & homo jam baptizatus Dei & Spiritus S. templum inauguratur, jam penitus abdicato, & abjurato impuro spiritu Diabolo. Nã verbi Horcizare sive Exorcizare hanc demum veram & genuinam significationem esse superius evicimus. Et quamvis Baptismus nullibi in Scripturã Exorcismus dicatur quoad Phrasin: tamen quoad rem ipsam hæc equipollere superius ita ostensum esse speramus, ut equos & moderatos judices in Declaratione nostrã acquieturos esse planè confidamus.

61. Accedit huc quod Diabolus in homines ingrediti, & ex hominibus egredi dicatur in verbo Dei non solum cum notatur corporalis obsessio, verum etiam cum spiritualis. Certè talibus phrasibus Sacre literæ sæpius utuntur, & ex Sacris literis sancti Patres. Pro multis uno atque altero testimonio contenti erimus. Matth. 12. v. 43. dicit Christus: ὅταν ᾖ ἀναγέγων πνεῦμα ἐξέλθῃ διὰ τοῦ ἀνθρώπου: cum immundus spiritus exierit ab homine: Et mox Πρὸς τὸν οἶκόν μου ὄψην ἐξῆλθόν: Revertar in domum unde, vel ex qua exij, qua de spirituali obsessione, egressione & regressione in hominem intelligenda esse ipse Beza candidè agnoscit & fatetur. Et qui locus eo magis notandus, quod in illo ipso Christus ibidem occasione corporalis obsessionis

de spiritali loquitur, & illā corporalē ad spiritalē accommodat.

62. Marci 6. v. 9. mentio fit Maria Magdalena, ex quā eiecerat Christus 7. Dæmonia, quæ pleriq; interpretantur de solutā obsessione spiritali, quā Maria Magd. à Christo conversa, liberata fuerit à multis impurissimis carnis cupiditatibus, quib; ipsa ad quamvis explendam libidinem haud secus instigata fuerit, quam si 7. Diabolis agitata fuisset. Certè quod septenario illo numero gravissima Diaboli obsessio, & illa quidem spiritalis non obscurè notetur, alter parallelus locus, quo dicit Christus, Luc. 11. v. 26. de Diabolo ejecto, & rursus assumente alios 7. spiritus se nequiores non obscurè indicat. Quicquid sit, hoc saltem evicimus, Sanctos Patres, qui locum illum sic interpretantur, obsessionem Diaboli spiritalē & sensu & phrasi usurpasse.

63. Nihil jam dico de plurimis alijs locis quæ expressè de spiritali obsessione loquuntur. Luc. de Judā Iscariote cap. 22. v. 3. εἰσῆλθε ὁ σατανᾶς ἐν Ἰησοῦ. Ingressus fuit Satanus in Judam. Et Job. 13. v. 27. Post sumtam offulam ingressus est in eum Satanus. Quod Job. 13. v. 2. explicatur, cum dicitur: Cum Diabolus jam immisisset in cor Juda Simonis Iscariot ut illum proderet. Quibus verbis obsessionem illam Juda Diabolicam spiritalē explicat. Et Act. 5. v. 3. dicit Petrus ad Ananiam, cur implevit, h. e. ut Beza explicat prorsus occupavit Satanus cor tuum? Quibus locis notatur spiritalis obsessio. Interim tamen ibi Diabolus ingredi & egredi dicitur.

64. Nec est cur à phrasi illa obsessionis Diabolicæ spiritalis nobis metuamus, ne fortè gravior illa sit, quàm hominum non renatorum & infantum in peccatis conceptorum, & filiorum iræ Dei natorum conditio admittat. Certè humane naturæ corruptio & πᾶσι δὲ ἐξ ἡμῶν gravior est, quàm ut Spiritus S. alijs phrasibus illam exprimere voluerit, Et sunt quidem non renati in Diaboli captivitate, cui illi tanquam mancipia inserviunt. Imò verò à Diabolo spiritaliter obsessi sunt, quicunq; in Christo non

non sunt, non solum illi qui horrendis externis facinoribus & impurissimis peccatis ad extra testantur à quàm immani spiritu agitentur ad intra: verum etiam illi qui in oculis hominum sapientes, justi, sancti & innocentes videri voluerunt. Tales n. coram Deo hypocritæ sunt, & bis mali. Ut enim ipse pater illorum Diabolus nunquam perniciosior est, quàm cum in Angelum lucis se transformat: sic filij ejus qui à patre suo agitantur, tum pessimi sunt quando hypocritas agunt, & mali cum sint boni videri volunt.

65. Et posset spiritualis illa obsessio etiam quo ad phrasin multis ex Verbo Dei argumentis ostendi: unico autem tantum hoc loco contenti erimus desumpto à verbo ἐνεργῶν, quo passim Spiritus S. in N. Testamento obsessionem hanc indigitat. Ενεργῶν propriè dicitur intus movere, agere & agitare, & dicitur de interno spiritu, qui intus agit, omnia membra corporis occupat, & illa impellit ad externa Opera & actiones. Patet hoc ex memorabili illo loco Poëtarum principis, in quo loquitur de Deo qui illud in mundo sit quod anima, vel spiritus in corpore. In quam sententiam Platonici quidam illum animam mundi vocabant. Principio, inquit, cælum & terras camposq. liquentes &c. Spiritus intus agit. Quasi dicat ενεργῶν. Quem Poëta locum non ideo cito, quasi in ejus sententiâ aliquid veri insit, in quo, utpote profani Poëta, sædum errorem esse à multis notatum est: sed ut ostendam quâ Phrasi Latinâ Græcum illud verbum ενεργῶν, & quàm propriè expresserit. Et usurpatur hoc verbum de internâ occupatione & obsessione sive boni sive mali Spiritus, qui intus agens externis actionibus conspiciendum se præbeat.

66. Quo sensu Matt. 14. v. 2. & Marc. 6. v. 14. dicebat Herodes de Christo Virtutes ενεργῶν ἐν αὐτῷ. Q. d. Virtutes faciendorum miraculorum intus in illo incitari ad edenda miracula. Et 1. Cor. 12. v. 6. dicitur Deus & divinus Spiritus ὁ ενεργῶν ἐν ἡμῖν, intus agere omnia in omnib. unde tales effectus

fectus variorum donorum ad extra proficiantur. Ad Galat. 3. v. 5. eodem modo de Spiritu Dei loquitur, qui operetur interiorius in illis virtutes. Et ad Gal. 5. v. 6. vocatur vera fides $\tau\acute{\iota}\sigma\iota\varsigma$ $\delta\iota' \alpha\gamma\iota\omega\mu\acute{\iota}\nu\varsigma$ $\epsilon\upsilon\epsilon\gamma\gamma\epsilon\mu\acute{\epsilon}\nu\eta$, qua intus in homine habitans per caritatem incitatur ad bona opera ad extra producenda. Ubi enim Spiritus S. per fidem habitat, ibi ad extra minimè ociosus est. 2. ad Theß. 2. v. 7. de Antichristo loquens jam mysterium iniquitatis inquit $\epsilon\upsilon\epsilon\gamma\gamma\epsilon\tau\alpha\iota$, intus agitur. Notans in multorum animis jam tum hætenus occultas Diaboli molitiones tanquam sætus habitare, unde paulatim manifestus Antichristus nasciturus & erupturus sit.

67. Et hæc interna agitatio etiam multis locis notanda in vocabulo $\epsilon\upsilon\epsilon\gamma\gamma\epsilon\tau\alpha\iota$, ut ad Eph. 4. v. 16. ait $\kappa\alpha\iota' \epsilon\upsilon\epsilon\gamma\gamma\epsilon\tau\alpha\iota$, notans virtutem Christi in singulis fidelibus intus agentem, & qua vis instar spiritus vel anime intus corpus inhabitet, & inde singula membra vegetet & moveat, ut ipse Beza explicat. Idem notatur ad Coloss. 1. v. 29. Ad Col. 2. v. 12. dicit $\Delta\delta\epsilon \tau\acute{\iota}\sigma\iota\varsigma$ $\mu\acute{\iota}\sigma\tau\omega\varsigma$ $\tau\acute{\iota}\sigma\iota\varsigma$ $\epsilon\upsilon\epsilon\gamma\gamma\epsilon\tau\alpha\iota$ $\tau\acute{\omega}$ $\Theta\epsilon\acute{\omega}$, ubi intelligit fidem à Deo manantem & in hominibus habitantem & agentem. 2. ad Theß. 2. v. 9. de malo spiritu intus habitante eadem phrasi loquitur, cujus adventus est $\kappa\alpha\iota' \epsilon\upsilon\epsilon\gamma\gamma\epsilon\tau\alpha\iota$ $\tau\acute{\omega}$ $\sigma\alpha\tau\alpha\upsilon\acute{\alpha}$, juxta interiorè operationem Satanae intus obsidentis & agentis. Et ibidem deniq. v. 11. Mittit illis Deus $\epsilon\upsilon\epsilon\gamma\gamma\epsilon\mu\acute{\epsilon}\nu\alpha\varsigma$ $\omega\delta\acute{\alpha}\nu\eta\varsigma$, hoc est, intus animum occupantem & inhabitantem & in animo intus agentem deceptionem, qua quis inductus & seductus credat mandacio. Nam præpositio illa $\omega\delta\acute{\alpha}\nu\eta\varsigma$ nequaquam ibidem ociosa est, sed internam aliquam vim intus agentem, ut Poëta supra citatus exprimebat.

68. Cum autem in fidelibus Dei filijs spiritus Dei dicatur habitare, & illos tanquam templa occupare & inhabitare: cur non eodem modo nobis liceat de infidelibus qui patrem Diabolum habent, cum Sacra scripturâ & Spiritu S. loqui, quod sint templa Diaboli, quod in ipsis impurus Satanae spiritus habitet, siue

sive quod spiritualiter à Diabolo sint obsessi. Utiq; cum Spir. S. utrobiz eadem phrasi utatur 1. Cor. 12. v. 11: Omnia haec, inquit Paulus, ἐνεργεῖ τὸ ἐν ἡμῖν τὸ αὐτὸ πνεῦμα. Intus operatur unus & idem spiritus distribuens privatim unicuiq; ut vult. Ubi dicitur spiritus Dei intus agere, intus in habitando & operando & agendo in pijs. Et eodem vocabulo ἐνεργῶντος de spiritu Diaboli ad Eph. 2. v. 2. in habitante, & agente in filijs inobedientia, utitur. Cum autem ibi de in habitante Spiritu S. in renatis loquatur illo verbo, cur non hinc loqueretur de in habitante Diabolo in impijs verbo eodem?

69. Certè non renatos spiritualiter à Diabolo ejusq; operibus obsideri Paulus ad Rom. 7. v. 5. palàm indicat, ne seipsum quidem excludens in statu illo quo vixit ante conversionem: Cum essemus in carne, inquit τὰ μέλη ἡμῶν ἀσθενῶν ἐνεργεῖ ἐν ἡμῖν μέλειον ἡμῶν εἰς τὸ κατὰ φύσιν τὸ ἵνα ἴθι. Affectiones peccatorum intus agebant in membris nostris ad fructum ferendum mortis. Q. d. instinctus peccatorum Diabolici intus membra nostra obsederant, & in illis intus agebant, ut inde foras germinarent malorum operum hoc est, peccatorum fructus, quorum merces & stipendium mors est. Quibus verbis notatur manifestissima operum Diaboli in non renatis spiritualis obsessio, etiam quo ad phrasin.

70. Nec solum Diaboli opera hoc est, affectus & instinctus ad peccandum in non renati animo & spiritu habitant, eumq; obsident: Verum etiam Diabolus ipse. Cum essemus, inquit Paulus, ne seipsum quidem excludens, in offensis & peccatis, in quibus olim ambulastis secundum potestatem Principis aëris hujus, τὸ πνεῦμα, inquit, τὸ ἔνδον ἐνεργῶντος ἐν ὑμῖν, τῆς ἀπειθείας. Spiritus illius qui nunc intus agit in hominibus contumacibus, quo nomine omnes non renatos intelligit. Hoc est, qui filios hujus saeculi spiritualiter obsidet, illosq; intus agit & impellit ad perpetranda peccata, quae ad extra quasi emanant. Certè hic locus

D

planif

planissimè hoc dicit, Ephesios ante regenerationem fuisse à Satana totos occupatos, agitados, & possessos.

71. Et hic spiritualis illa obsessio verbo ἐνεργεῖν, non solum manifestissimè notatur, verum etiam ipsa phrasi planissimè exprimitur. Cum enim ibi dicatur Diabolus in impijs & non renatis ἐνεργεῖν, hoc est intus agere, utique intus in illis habitat intus illos occupat & spiritualiter intus illos obsidet, & quo sensu etiam illi qui corporaliter à Diabolo obsidentur, qui intus agendo illos excruciat, illorum membra incurvat, intorquet & pro suo arbitratu, Deo permittente, usurpat ἐνεργεῖν, ut appellatur, hoc est obsessi. Et impurus ille spiritus, qui suos ita spiritualiter obsidet, 1. Job. 4. v. 8. τὸ πνεῦμα τῆς πλάνης vocatur, ut contra Dei Spiritus, quo fideles intus aguntur, Job. 15. v. 17. & multis alijs in locis, vocatur πνεῦμα ἴης ἀδυνάτου. Et quo spiritus qui implentur illi ab illo πνεῦμα σατοῖ appellatur, ad Gal. 5. v. 1.

72. Cumq; contrariorum eadem sit disciplina, eadem etiã de rebus contrarijs usurpentur phrasès; Cumq; adeò Spiritus S. ipse eadem usus sit phrasi ad Philip. 2. v. 23. ὁ ἐνεργεῖν ἐν ὑμῖν cum loquitur de Spiritu Sancto intus in suis habitante, & in illis intus agente, ut velint & perficiant; Et idem Spiritus S. eadem phrasi utatur, volens ostendere Diabolum impurum spiritum etiam ἐνεργεῖν in suis filijs: liceat sanè nobis eadem phrasi magisterio Spiritus S. uti, & dicere in fidelibus Spiritum Dei habitare, in infidelibus verò & non renatis habitare Spiritum Diaboli.

73. Hoc argumentum ex verbo ἐνεργεῖν exstruere volui. Prolixum autem esset plura, alia ex verbo ἡγούμεν & alijs dicere. Longè verò adhuc prolixius testimonia Patrum ad hoc probandum hoc loco congerre. Paucissimis contentus ero. Augustinus tractatu in Johannem 52. cap. 12. Possidebat, inquit, Diabolus humanum genus, & dominabatur in cordibus infidelium, & deceptos captivosq; trahebat. Per Christi autem fidem, & per ejus sanguinem (qui in Baptismo funditur)

ditur) à Diaboli dominatu liberantur. *Et post non multa, ad verba illa*: Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras: Prævidebat, *inquit*, Dominus, quod sciebat per passionem & glorificationem suam per universum mundum multos populos credituros, in quorum cordibus Diabolus intus erat, cui quando renunciant, ejicitur foras. *Et paulo post*: Quantaslibet adversum nos erigat machinas, quando non tenet locum cordis, ubi fides habitat ejectus est foras. Nolite ergo de vobis ipsis præsumere, si non vultis foras ejectum Diabolum intrò iterum revocare.

74. *Idem Augustinus Serm. de Cataclys. c. 3.* Moses figuram habuit Domini Christi, quoniam Dux fuit populi. In virga agnoscite Crucem, in mari rubro agnoscite Baptismum Christi sanguine purpuratum. Regem Ægyptiorum populosq; ejus auctorem peccatorum Diabolum, cum omnibus ministris ejus. *Idem de fide & operibus cap. 25.* Qui post pœnitentiam relabitur in peccata, ille facit in se immundum spiritum multipliciorem redire. *Et lib. 1. Quæst. super Evangelia cap. 8.* Per septem alios nequiores spiritus intelligit septem vicia, quæ septem virtutibus spiritualibus sunt contraria. *Et ad verba illa*: Ejicio Dæmonia, & sanitates perficio hodiè & cras Referatur. *inquit*, ad corpus, quod est Ecclesia. Expelluntur enim Dæmonia, cū relictis paternis superstitionibus credunt in eum gentes, cum secundum ejus præcepta vivitur, posteaquàm fuerit Diabolo & huic seculo renunciatum.

75. *Plura alia in hanc sententiam ab alijs Patribus dicta non addo. Vel ex unius hujus Augustini sententijs liquet, quid Patres de Baptismo senserint, & quomodo de efficaciâ ejus locuti sint, ad quam declarandam hæc Exorcismi verba Baptismo præmittere voluerunt, propter astantes, ut illos admonerent, quanti momenti res esset, qua ageretur. Quâ nimirum ex filio Diabo-*

Et filius Dei fieret, & homo à spirituali Diaboli obsessione liberetur, ut evadat spirituale Spiritus Sancti templum. Et hanc liberationem cum manifestis & perspicuis verbis declarare voluerint, ut Baptismi efficacia à doctis & indoctis, Clericis & Laicis, viris & feminis, senibus & pueris perspicue intelligeretur, magis perspicuis non potuerunt, quam illis in Exorcismo expressis. Quibus nempe exire & cedere jubetur mandato & auctoritate DEI à servo DEI Diabolus. Nec verba illa Exorcismi, quibus hoc declararunt temerè à Patribus excogitata sunt, sed, ut demonstravimus ex Verbo Dei desumpta, magistro Spiritu Sancto, qui de obsessione Diaboli spirituali loquens talibus verbis usus fuit.

76. Cumque haec verba rectè explicata in se püssima sint, & Virtutem Dei in Baptismo manifestissimè declarant, nec à nobis inventa, & administrationi Baptismi temerè addita sint, sed à Sanctis Patribus accepta & tot seculis in Ecclesijs usurpata sint, & qui Patres illa ex Verbo Dei divinitus inspirato, quod iisdem passim verbis & Phrasibus de re eadem utitur, desumerint. Et quibus verbis nemo apud nos offenditur, sed omnes adstantes de majestate & virtute Sacramenti piè admonentur. Cumque hactenus nullam in nostris Ecclesijs habeamus, causam verba illa cum infirmiorum scandalo abrogandi: Liceat nobis sanè cum bonà aliorum gratià illa verba in administratione Baptismi in Ecclesijs nostris retinere.

77. Quod verò nobis objicitur auctoritas summi quondam & praclarè meriti apud nos, de Ecclesia DEI Theologi, qui scriptis paulo ante mortem suam prolixis Thesibus Exorcismum abrogandum esse censuerit: Ego ante annos aliquot, cum ille Theses ad nos perferrentur, quaecumque meum iudicium etiam excusis Thesibus exposui. Quae cum illo tempore ob reverentiam illius Theologi ita, ut alioqui tales disputationes consueverunt, publicari non potuerint, jam tamen publicatæ, imò Catalogo, qua-

uis

vis inscio me, inserta jam sint: vel unâ & sola causa mihi existi-
terunt, hæc Theses de integro concipiendi, & quæ in prioribus
illis Thesibus brevius & obscurius aut etiam minus solidè expo-
sita fuerunt, prolixius declarandi. Idq; eo magis faciendum mi-
hi duxi, cum Theologi Palatini & alij Theses illas in libris suis
passim citent, & illis Ecclesias nostras urgere, imò premerè
incipiant.

78. Non repeto autem quæ de illis publicatis Thesibus tum
à me scripta fuerunt, nisi unum hoc, Nunquam, me in animum
meum posse inducere, ut credam beatum illum virum illas The-
ses ita fuisse publicaturum virum, ut post mortem ejus sunt pu-
blicate.

79. Quod vero Palatini, qui illas citant, dicunt, (ut pau-
cis ad illa respondeam, quæ isti producunt, pro Exorcismi verbis
abrogandis) verba illa Exorcismi non à Christo esse, sed esse in-
ventionem & traditionem humanam, ad illud jam ante respon-
sum est. Exorcismum declarationem esse Baptismi, qui Bapti-
smus est à Deo. Quod autem talis declaratio Baptismo addita
sit, sine qua Baptismus tamen Baptismus esset, illud verò conce-
dimus esse ab hominibus. Et jam ante dictum est, verba illa
Exorcismi, ut vocant, adhiberi non propter Baptismum, quasi illi
aliquid desit, sed propter adstantes, ut illi admoneantur de vir-
tute & efficaciâ Baptismi. Et hac consideratione duo illa inter se
nihil pugnant: In verbo Dei fundatum esse, & tamen Adia-
phoron esse. Adiaphoron est in quantum hoc vel illo tempore
adhibetur, & usurpatur. Sic Epistolæ Apostolorum verbum
Dei sunt. Quod autem diebus Dominicis pro concione expli-
cantur in quibusdam locis, & non alijs diebus, hoc verò est in-
differens, ut pro commodo & usu Ecclesiæ posset mutari. Quod
igitur Exorcismi verba declarationis causa Baptismi admini-
strationi adjecta sint, illud ab hominibus profectum esse liben-
ter largimur. Ex quo interim non sequitur, quod quæ bona

intentione, & consilio, ab Ecclesiâ ad exhortandos & salu-
briter admonendos auditores & spectatores ordinata sunt, ma-
la & rejicienda sunt.

80. Quod dicitur verba illa, adjuro te impure spiritus,
quocumq; etiam colorum pigmento orientur, designare tamen
corporalem aliquâ Diaboli obsessionem, nulla ratione potest sub-
sistere. Inde enim eodem modo consequeretur, quod cum Aposto-
lus ait, Eph. 2. v. 2. Diabolum intus agere in filijs contuma-
ciæ, vel non renatis: Eosdē nō renatos etiam à Diabolo corpora-
liter obsideri. Porro vocabulum Exorcizare nihil minus signifi-
cat quam ejicere corporaliter obsidentem Diabolum, ut supra ex
fundamentis ac Principijs Græci sermonis prolixè ostendimus. Et
provoco ad ipsorum Adversariorū nostrorum Græcæ doctorum,
in Sermone Græco scientiam & conscientiam. Alios qui Græcâ
non intelligunt, & persuasum sibi habent verbum Exorcizare
nihil nisi Diabolum expellere & quidem ex corpore, significare,
hic non moramur.

81. Unde proximè consequitur nihil ad rem facere, quod
dicitur donum illud Diabolo ejiciendi jam dudum in Ecclesiâ
defecisse: nec quidquam commercij nos habere debere cum Pa-
pisticis Exorcistis, & Magis. Cum obsessione enim corporali ni-
hil prorsus hic nobis negotij.

82. Nec alicujus momenti est, quod Laici quidam & fra-
tres infirmi verba illa Exorcismi necessariam aliquam Baptismi
partem faciunt. Pleriq; enim apud nos concionatorum suorum
informationibus per DEI gratiam ita edocti sunt, certè edo-
ceri brevi & perspicuâ præfatione debent, ut norint nihil a-
liud esse, quam utilissimam & necessariam Baptismi declara-
tionem. Quo etiam sensu nos illa retinemus, & porro reti-
nenda esse rectè defendimus. Et qui Exorcismus, ut, quibus
locis abrogatus jam est, sine infirmiorum scandalo forte re-
assumi

assumi non potest: Ita sine eodem offendiculo quibus locis adhuc usurpatur, non potest abrogari.

83. Qui dicunt verba illa Adjuro te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, blasphemum nominis Dei abusum esse, in illis desidero scientiam & candorem. Nos dicimus & probamus Exorcismum esse declarationem Baptismi, & presupponimus in hac disputatione Baptismum homines à morte & à Diabolo spiritualiter obsessos liberare: Et non videmus, quomodo in his verbis nominis Dei abusus esse possit, nisi eadem opera dicere velimus, in Institutione Baptismi ejusque administratione abusum esse Dei nominis, in verbis illis, Baptizo te in nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti. Nam illa Exorcismi, ut vocant, verba declarant & interpretantur hæc verba Baptismi.

84. Cum enim dicit minister, Baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, nihil aliud est, quam si dicat: Abluo te in Christi sanguine à peccatis in nomine Sanctæ Trinitatis: & te impure Spiritus, nomine, imperio & mandato S. Trinitatis adjuro, tibi impero & edico ut hinc migres, ut hoc palatium relinquas, nec quicquam imperij & potestatis te amplius in hoc seruo Dei habere intelligas, & quem servam tua opera amplius ledere & damnare non possunt, non Originalis peccati labe, non dicta, facta & cogitata contra legem Dei, quantacumque illa sint.

85. Quod obijcitur verba illa multas in Ecclesiâ lites excitasse, prob dolor! concedimus & quotidie experimur. Interim quinam tandem illarum litium alij nobis auctores extant, quam illi ipsi qui nobis hæc obijciunt: Et qui litibus illis carere potuissent, nisi illas ipsas excitare voluissent? Et libenter quidem fatemur optandum esse in Christi Ecclesiâ uniformem in omnibus ritibus & caremonijs consensum & harmoniam. Sed optamus hæcenus illud, cujus spes hæcenus non affulget. Vo-
runt

tum cum aliud quiddam ab illis, qui haec nobis obijciunt, spectetur, in quo inter nos & illos consensus sanciri non potest, ut concedamus Sacramenta nuda signa esse & remissionem peccatorum ac salutem tantum significare, non autem efficaciter operari; minimè committendum esse ducimus, ut in ipsorum gratium cum infirmorum scandalo illud abrogemus, quod non introduximus: & Sancti Patres è verbo Dei desumptum nobis tradiderunt.

86. Ex libertate Christianà haecenus verba haec retinemus. Si urgentibus adversarijs illa iussu abrogemus, jam desijt libertas, & desijt quod Adiaphoron fuit, Adiaphoron esse. Si, ut est, indifferens est, eadem ratio, qua negat illud repetendum esse ubi desijt, affirmat illud retinendum esse, ubi adhuc est. Quod si aliquando abrogandum esset, illud nec rectius fieri posset, nec magis tutò quàm illo tempore, quo adversarij illud minus urgerent. Non quasi contumaciter adversarijs in omnibus sit, reluctandum, sed quod libertas ex sua naturà cogi neq; velit, neq; possit, neq; debeat. Rursus, si urgentibus adversarijs haec abrogaremus, conscientijs nostris vim inferremus, negantes, imò damnantes illa qua haecenus ex Verbo Dei rectè defendimus, ad vitæ finem, cum Deo, defensuri.

87. Apostolicam simplicitatem in Sacramentorum administratione reverenter & piè amplectimur: illamq; in administratione Baptismi Exorcismi verbis simplicissimè, planissimè & apertissimè priscos Ecclesia Patres explicare ac declarare voluisse asserimus. Quod autem reformata Religionis Antistites & Evangelij Christi assertores imperij Status & Ordines contra Concilij Tridentini decreta pronunciaverint, Christum iussisse in nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti baptizare, neq; Chrismate nec Exorcismis uti præcepisse: Pontificiorum varios circa Sacramentum hoc superstitiosos ritus tantum perstringit, non autem Baptismi in Ecclesijs nostris administrationem.

strationem. Nos enim Exorcismum non ut peculiarem actionem à Baptismo separatam, non ut *παρομοιωσιν* quandam (quæ templum Spiritui Sancto ingressuro prius quasi purgetur) Baptismo permittendam, à Baptismo distinctam, sed nec Baptismi partem esse agnoscimus, ut è Pontificijs non nemo, sed loco explanationis & declarationis Baptismi, quod toties repetimus, habemus.

88. Verùm nulla alia causa est cur adversarij nostri illis Exorcismi verbis tam iniqui sint, quàm hæc, quod illam Baptismo virtutem & efficaciam non attribuant, quod Exorcismi verba faciunt, quod scilicet ille reuera & efficaciter homines ab imperio Diaboli liberet. Absq; quo profecto si esset, Exorcismum illi nunquam oppugnassent. Hanc autem virtutem & efficaciam cum nos asseramus, verba hæc Exorcismi qua idem omnino asserunt, in illorum gratiam cum magno infirmorum offendiculo, cum gravi bona nostra causa præjudicio, & doctrina illius quàm hæcenus consistemus, urgentibus adversarijs, abrogare bonâ conscientiam non possumus.

88. Interim non diffiteor, utilissimum videri mihi, saltem ad omnes cavillandi occasiones præcidendas, si brevi quâdam Prefatione administrationi Baptismi præmissâ susceptores compatres, & alij adstantes præmoneantur, de Baptismi efficaciâ, & quod illa per verba, quæ Exorcismum vocant, declaretur: Quod nimirum infans jam Baptizandus in peccatis & iniquitatibus conceptus & natus sit: quod sit filius ira, reus æternæ condemnationis, quod sit captivus Diabolo, quod impurus Spiritus intus in talibus non renatis agat, quod in illis regnet Diabolus, & Diaboli opera peccata, qui illos spiritualiter obsessos teneat, & ad quævis peccata tanquam mancipia sua impellat: Quod in regnum Dei intrare non possit, nisi renascatur *ἀνωθεν*, de integro, ab initio, & denuo, hoc est de novo, von grundi vund neuen auff, per aquam & spiritum, per lavacrum regenerationis

E

tionis

tionis & renovationis, Novus homo, In quo Diabolo & Diaboli operibus nihil amplius juris, nihil potestatis sit. Et hoc significari & declarari verbis illis sequentibus, quæ ad declarandam Baptismi efficaciam antiquissimi Patres Baptismo præmiserint.

89. Ab adversarijs autem petimus & contendimus, ut de abrogatione Exorcismi tam diu molesti nobis esse desinant, quam diu nobis non probaverint, Baptismo nos non liberari à peccato, à morte & Diabolo, ut loquitur D. Lutherus: Baptismum non esse lavacrum Regenerationis & renovationis Spiritus S. ut inquit S. Paulus: quod qui non renatus sit ex aqua (Baptismi scilicet) & spiritu, tamen ingredi possit in Regnum cælorum, ut dicit Christus. Interim libertate illâ Christianâ ritus pios & utiles pro usu Ecclesiæ vel constituendi vel abrogandi minimè nos abdicamus. Hoc tamen constantissimè asserentes adeò vetustos bono consilio institutos & cum Verbo Dei consentientes in Ecclesiâ à ritus non in unâ atq; alterâ vel urbe, vel regione, vel regno sine vicinorum $\delta\mu\psi\eta\phi\omega\nu$ consensu, sine magno offendiculo non abrogari, nec nisi de causis longè gravissimis in quibus æstimandis & considerandis cum primis ratio habenda sit infirmorum fratrum pro quibus Christus mortuus est.

90. Quod si interim omninò expressum in verbo Dei de usurpandis & Baptismo præmittendis verbis his mandatum à nobis postulent: Nihil aliud illis reponimus, quam quod illud à nobis ipsi postulent, quod nobis postulantibus ipsi præstare non possint. Cum & ipsi in Ecclesiis suis multa usurpent, quæ licet cum verbo Dei consentire contendant, nunquam tamen demonstrare poterunt, expressum se habere mandatum, quo jussi sint hoc vel illo modo, loco, tempore illa in Ecclesiâ adhibere. De hoc certè expressum DEI mandatum habemus, nos Baptizare, debere in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti: Hoc est, in nomine Sanctæ Trinitatis in Baptismo Diaboli opera, in quibus Baptizandus conceptus & natus est, & Diabolum, à quo capti-

*captivus tenetur, & qui non renatos spiritualiter obsidet, eji-
cere, propulsare & profligare. Ceterum in nomine Sancta
Trinitatis Diabolum & Diaboli opera profligare, nihil aliud
esse quam peccata & Diabolum intus habitantem, & hominem
spiritualiter obsidentem in nomine Dei exorcizare sive adjurare
vel jubere ut facessat (cum & Graecum illud, & Latinum
hoc nihil aliud significet, quam per divina, ut Augustinus
loquitur, hoc est per nomen & auctoritatem DEI jubere &
imperare) superius invictis è verbo DEI fundamentis
evicisse me. submisse spero.*

DEO SIT LAUS ET GLORIA.
AMEN.



